



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Doctrina 4. Desumpta ex cap. 33. lib. Genes. in quo describitur familiaris fratrum, sibi invicem occurrentium congressus Jacobique iter in Socoth & Salem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

in cruce Domini nostri JESU Christi, in quo est salus &c. Nec cessa luctari cum Jacobo, donec cum ipso elucteris.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 33. lib. Genes. in quo describitur familiaris fratrum, sibi invicem occurrentium congressus Jacobique iter in Socoth & Salem.

N. 50. Considera: QUAM obsequiosum & munificum erga fratrem suum Esau, quem noverat suum semper infensissimum extitisse hostem, sese exhibuerit Jacob, dicens v. 10. cit. cap. *Vide faciem tuam, quasi viderim vultum DEI.* Haud secus te Christiane, quando obvium habes inimicum tuum, oportet semotâ omnî vindictâ, privatâ autoritate inferendâ, ei exhibere signa reconciliationis, amoris & benevolentia, ut sic etiam imiteris Salvatorem tuum, qui intuens Judæos juratissimos suos hostes, dirissimam sibi mortem inferentes, pro eorum salute rogavit Patrem, dicens: *Dimite illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Joan. 13. Quid? quod Judam ipsum Judæorum Coriphæum gratiosô, dignatus sit osculô, ut eum ad Poenitentiam provocaret. Summum sacerdotem legis novæ immitatus Levita Stephanus, dum imbre lapidum ab hostibus obruitur, clamat ex amaro pectore Actor. 7. *Ne statuas illis hoc peccatum.* Jacobus Apostolus à Judæis de Pinna Templi præcepso ætus, & morti proximus oravit: *Domine da veniam illis, quia nesciunt quid faciunt.* Surius in vita ejus. S. Paulus de sua & aliorum Apostolorum personis testatur 1. Corinth. 12. *Maledicimur, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur & obsecramus.* Carolus V. Imperator homini, qui ei necem paraverat, ad se vocari jussu, non tantum capitale remisit supplicium, sed post varios affectus & signa gratia ei exhibita, mille aureos donô dedit teste Aneâ Sylv. *Pusilli hominis est, ait Seneca lib. 2, de ira, repetere mordentem ut mures & formica, ad quas si manum admoveris, ora convertunt inbecilla, se ladi putant, si tangantur.* Et hinc Pericles convitiatorem suum rotâ die, inultè sustinens, nocte discedentem accenso lumine domum deduxit: Socrates verò calce à quopiam petitus; cum moneretur, ut repercuteret: *An, inquit, si asinus mihi calcem impigisset, in eum recalcitrarem?* hoc ô Christiane! Ethnici & Barbari præstitere: quid te oportet facere, cui toties inculcantur notissima illa

illa S. Evangelii verba: *diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* Matth. 5. Imitatur DEUS terrenum Imperatorem, qui ad remuneranda servorum nobilium sibi præstita servitia, diversas feudorum investituras concedit, hæc tamen lege, ut sibi reservet Dominium directum, cæteris omnibus servo nobili relictis. Vis nosse Feudi, à DEO hominibus concessi excellentiam, considera omnia Dona animæ tuæ: Considera libertatem in operandò, facilitatem in discurrendò, potentiam in recogitandò præterita; cerne futurorum providentiam, scientiarum capacitatem, artium liberalium habilitatem, negotiorum solertiam, prudentiam ad gubernandum, ut alia brevitate studiosus sileam. Quid autem à te pro tam nobili Feudo in recognitionem supremi Domini aliud petit, quàm illud Apostoli: *Mihi vindicta, & ego retribuam. Desine igitur ab ira, & derelinque furor.* Psal. 36. Fac hoc in gratiam illius, qui ob tot peccata contra naturam, contra legem à te perpetrata, toties tibi veniam indulsit. Fac hoc in obsequium illius, à quo etsi ingratissimus, tot tamen gratiæ & naturæ dona accepisti. Fac hoc in favorem illius, qui se Patrem tuum vocari dignatur, solem suum oriri faciens super bonos & malos, pluensque super justos & injustos.

Pro coronide hujus fasciculi disce à Jacobo præter dilectionem inimicorum etiam discretionem erga subditos, si superiorem agis. Dum videlicet moderatò labore nos occupare debes, ne indiscreto oneri succumbant. *Si plus in ambulando, ajebat ille, secero eos laborare, morientur cuncti greges unâ die.* v. 14. cap. cit. Quod sanctissimus meus Legislatur Benedictus Superioribus ante omnia imitandum proponit. Quare Christus Petrum principem cæteris discipulis præfecturus, jubet; illos habeat non servorum sed fratrum instar, non imponendò onera, sub quibus despoticè subditi gemere solent, sed injungendò talia, quæ cujuslibet viribus sint accommoda.



FASCI-